

427.

1255 d. 22 Jul.

Nottingham.

Konung HENRIC III:s i England Creditiv för några Predikare-Munkar, hvilka sändes till BIRGER JÄRL att underhandla om ett vänskaps- och handelsförbund.

K. r. I. 2: 1.

Litteræ de Credentia Duci Sueorum.

Rex Domino B. Duci Sueorum salutem. Cum, de contrahendo internos, et vos, ac Regem Sueorum, natum vestrum, perpetuo amicitarum vinculo, ad nos dudum vestros Nuncios duxeritis transmittendos; nosque multiplici guerrarum discrimine turbati, & plerisque negotiis occupati, Nuncios a latere nostro ad vos, pro statu & qualitate rerum investigandis, prout vobis scripsimus, eo tempore mittere nequiremus; Ac per discretos & religiosos fratres, Priorem Bert, & Commer. de Ordine Prædicatorum, laudabilis industriæ & sagacitatis viros, vestram denuo voluntatem nobis lucidius explicandam duxeritis, & quomodo nobis, præ cæteris mundi Principibus, vestra Serenitas optarit copulari; Nos vestræ dilectioni proinde grates referimus speciales, discretos ac religiosos Gilbertum de Bello & Rogerum de Refham, de ordine supradicto, ad vos pro facto mittentes memorato, & ad statum Regni & qualitatem negotii per ipsos investigandos; quibus super hiis omnibus fidem adhibere, & vestram inde voluntatem nobis per eosdem demandare velitis. Teste Rege apud Nottingham, 22. die Julii.

428.

1255 d. 22 Dec.

Lateran.

Påfv. ALEXANDER IV:s Bref till Bisk. Kol i Strengnäs, Abboten i Alvastra och Dom-Prosten i Linköping att låta den åldriga och svaga Ärke-Bisk. JÄRLER i Upsala nedlägga sitt Embete och att af Ärke-Biskopsbordet anslå honom ett hederligt underhåll.

F. 1: 246. An. 2. Ep. 22.

*Alexander Episcopus Servus Servorum Dei. Venerabili Fratri . . .
Strenginensi Episcopo, et dilecto filio Abbatii Alwastrie Lincopensis
Diocesis, et Preposito Ecclesie Lincensis Salutem &c.*

Usque in senectam et senium in officio pastoralis cure perductus Venerabilis Frater noster . . . Archiepiscopus Ubsalensis nobis per suas litteras cum instantia supplicavit, ut cum confractus senio et paralitico morbo laborans nequeat pastorale officium ut expedit adimplere, ac per hoc oneri pontificalis officii cedere sit paratus, cessionem ipsius recipere curaremus. De vestra igitur circumspectione plenam in Domino fiduciam obtinentes,